Q. D. B. V

COMMENTATIO ACADEMICA

DE

NATVRA DIALECTORVM

AD LINGVAM

HEBRAICAM ET ARABICAM

APPLICATA

QVAM

DIVINA FAVENTE GRATIA

PRO LOCO

IN AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

RITE OBTINENDO

IN AVDITORIO MAIORI

III CALEND. IVNII A. R. S. MDCCXLVII

PVBLICE DEFENDENT

M. BENIAMIN GRODDECK

FACVLT. PHILOS. ASSESSOR


ET

RESPONDENS

MICHAEL GOTTLIEB TREVGE


MARIAEB. BORVSSVS





VITEMBERGAE

TYPIS SCHLOMACHIANIS



ב״ש״ש

DE

NATVRA DIALECTORVM AD LINGVAM HEBRAEAM ET ARABICAM APPLICATA.

§. I.

Meditanti mihi, qua tandem ratione ea, quae de natura atque indole linguarum Arabicae et Hebraeae hactenus a me prolata ſunt, ad illam perducere poſſem euidentiam, ut non ſolum Eruditorum applauſum mihi conciliarem, ſed unumquemque ad ueterem illam et regiam hebraizandi uiam, prae reliquis eligendam, ueritatis ſplendore conuictum cogerem: Dialectorum contemplatio, earumque natura omne, quod forte contra uniuerſam noſtram Hypotheſin enaſci, uel fingi poſſet dubium, feliciter ſoluere, iisque, quos externa harum linguarum diuerſitas huc uſque a conſenſu detinuit, omnem ſcrupulum euellere, apta nata uiſa eſt. Frequentiſſimum enim, quod contra conuenientiam linguae Hebraeae et Arabicae nectitur argumentum, a diſcrimine iſto, quod inter eas tam



quoad literas, quam reliquam linguae formam intercedit, desumtum esse solet, quo euinci posse existimant, linguam Arabicam pristinum suum decus penitus amisisse, tantumque abesse, ut sororis nomen tueri queat, ut potius deformis admodum atque degener, quae uenustissimae matris uirtutem et ornamentum abiecerit, facta sit filia. Differentia, inquiunt, harum linguarum multo notabilior est, quam ut arctum uinculum inter eas asseri et affirmari queat. Ecquid enim primo adspectu repugnantius, quam eas combinare uelle linguas, quae tam ipsis elementis, quam pronunciandi modo, uerborum significatibus, constructione, loquendi forma peculiari, quin toto orationis ambitu a se inuicem diffident? Quid ab omni ueri specie magis abhorret, quam illas linguas Dialectos appellare, quarum una alterius uix esse uidetur soboles? Hunc in modum argumentari solent, qui contra harmoniam harum linguarum, quam nos asserimus, et ubique defendere possumus, excipiunt, qui, si firmo niteretur fundamento, totam nostram Hypothesin destrueret. Has itaque nebulas, quae multorum obfuscant oculos, necessario ante dispellendas esse, quam aliorum consensum nobis persuadere possumus, cuiuis facile patet, quas si dissipauero, linguasque Hebraeam et Arabicam eandem inter se rationem tenere, quam Graecorum Ionica, Attica, aut reliquae huius linguae Dialecti, ostendero, luce meridiana clarius apparebit, uniuersa ratiocinia ex hoc capite structa, suo, quo gaudere uidebantur, robore plane destitui. Haec quoque me impulit ratio, stricturas quasdam *de Dialectorum natura* hisce dare pagellis, eaque, quae in Dialectos uulgo cadunt, ad nostras applicare linguas, ex quibus, si effecero, di ordiam linguarum Arabicae et Hebraeae ex Dialecto tantum oriri, nihil, credo, quominus Lectorum consensum mihi gratuler, impediet In antecessum tamen admonemus, nos non nisi leues quasdam stricturas, temporis ratione sic iubente, hic dare constituisse, reliqua Eruditorum iudicio et discussioni relinquentes. Memini quidem promissi illius, quo quae *de Vtilitate Originum Hebraearum in peculiaribus Syntacticis constructionibus* differenda mihi supererant, resumere uolebam; sed materia hac ad fundamentum Hypotheseos rite constituendum plus conferente, eam praemittere, idque ab



ab omni inuasione tutum reddere malui, cum exceptio contra harmoniam harum linguarum tam solemnis sit, tamque altas iecerit radices, ut, nisi funditus exstirpentur, assensioni semper obsint.

§. II.

Linguam, si in uniuersum eam consideramus, signa, quibus cogitata nostra cum aliis communicare ualemus, constituunt.[a] Cum autem lingua ex uocabulorum compositione oriatur, a diuersitate, atque compositione eorum eius quoque dependet diuersitas, unde discrepantium linguarum notio enascitur, quarum nempe quaelibet aliis plane utitur signis, quibus unam eandemque rem afficit, eaque alio plane atque alio modo combinat, quem in modum Germani atque Galli diuersum loquendi genus habere dicuntur, quod ambo diuersis plane signis res indicant, animique sensa differenti modo cum aliis communicant. Sed praeter ea, quod diuersas diuersarum gentium linguas habemus, experientia nos insuper edocet, unius eiusdemque linguae uaria dari idiomata hic illic uariata, quae *Dialecti* nomine uenire solent. *Est* ergo *Dialectus unius et eiusdem linguae idioma*, *quod diuersis Prouinciis et Ciuitatibus*, *ea utentibus*, *diuersum est*, quemadmodum eam B. ERASMVS SCHMIDT definit.[b] Exempli loco lingua Germanica esse potest, quae uarias et innumeras fere sub se Dialectos complectitur, quibus uel in pronunciandi, uel formandi, construendi, imo nominandi ratione, Regiones, Ciuitates, Vici, Pagi, inter se differunt. Eiusdem conditionis linguam Graecam esse, in Dialectos Atticam, Ionicam, Aeolicam, Doricam, quibus alii Boeoticam, Macedonicam, Thessalicam reliquas[c] addunt, diuisam, neminem nostrum fugit. Differentiam Dialecti a peculiari quadam lingua inde colligimus, quod illa circa unam linguam uersatur, externasque tantum uariationes infert; haec uero medullam tangit, et quoad totam formam discrepat, ad quam rationem linguae Gallica et Italica falso Latinae haberentur Dialecti, quod earum diuersitas non ad externa tantum, sed ad interna quam maxime se extendit. Hinc recte Cel.

a) Conf. Cel. WINKLERI *Institut. Phil. ann. §. 663.*

b) *In Tractatu de Dialectis Graecorum p. 5.*

c) Vid. *c. l. p. 6.*

SCHVLTENSIVS,[d] *Dialectum per unius linguae uariationem quandam externam et accidentalem*, definit, *quae ad internam eius substantiam non pertingat, sed fundamentum integrum, illibatumque conseruet.* Ad hanc normam ergo linguam Hebraeam et Arabicam diiudicabimus, quando eas cum Dialectorum natura apprime congruere in sequentibus adstruemus.

§. III.

Si in caussas, unde Dialecti unius linguae oriri et enasci potuerunt, inquirimus, eas multiplici ratione excrescere, facile intelligemus. Ecquid enim uolubilius, quid mutabilius, et ad diuersos flexus lingua pronius est? Quem fugit aëris temperiem crassiorem, aspérioremque, asperos, rudioresque sonos, eam uero subtiliorem et delicatiorem, delicatam quandam mollitiem et tenuitatem eius gignere? Sic qui in montibus habitant, discrepantem ab iis, qui in uallibus degunt Dialectum habent, quod nonnunquam in eos cadit, qui in locis non ita dissitis a se uiuunt. Eandem nobiscum CHRISTOPH. BESOLDVS[e] fouet sententiam, de ratione mutationum linguarum sic disserens: *Natura atque conditio loci uel regionis uariat linguas, diuersasque cumprimis efficit Dialectos, Septentrionales duriuscule magis, Australes atque Orientales mollius atque leniter pronunciant non solum uerba, sed et uoces ipsas ad hanc normam efformare solent. Sic quoque pro aquae, aërisque qualitate, et ex montium, solique ratione ea uariatur* etc. Huc concedit quoque AVGVST. GRISCHOW,[f] inter alias hanc discrepantis idiomatis rationem proferens. *Ipsius*, inquit, *regionis natura, situsque australior aut septentrionalior, altior aut depressior, serenior, aut nubilis uaporibusque crassioribus magis expositus locus et similia. Ita propter uehementiorem spirituum uim calorisque impetum, propter spiritus animales subtiliores ac defecatiores et simil. horumue omnium contrarium, aut certam tantum modificationem fieri potest, ut in uocibus Vocales, Consonantesue aliis multiplicentur, aliis decurtentur, imminuanturque, crebrae his, rariores aliis adbibeantur* adspi-

d) *T. II. Orig. C. I. §. XXXV.*

e) *De Natura Populorum p. 41.*

f) *In Introduct. in Philologiam gener. §. XL. eiusque Scholio.*

adſpirationes, *aliis adamentur tenues*, *aliis mediae* etc. His iam ipſorum hominum accedit temperamentum, ex iiſdem principiis ſeſe in partem uel politiorem uel impolitiorem exerens, quod plebeium loquendi genus ſatis euincit. Certe uulgus, pronunciationem haud curans, linguas uitiat atque adulterat, ut earum uarietas ab eo originem maximam partem duxiſſe uideatur, multitudine eius politiores facile uincente, qua ex cauſa ſenſim, ſine ſenſu, alia atque alia linguae unius oritur facies externa.[g] Tempore quoque linguam in uarias Dialectus abire poſſe, nemo facile inficias ibit, qui, quid ſecula hic immutent, non plane incompertum habet. Egregie HORATIVS hac de re canit:[h]

—— Mortalia facta peribunt,
Nedum ſermonum ſtet honos et gratia uiuax.
Multa renaſcentur quae iam cecidere, cadentque,
Quae nunc ſunt in honore uocabula, ſi uolet uſus:
Quem penes arbitrium eſt, et ius et norma loquendi.

Addo proniſſimam literarum unius organi permutationem, quam apud pleraſque gentes obſeruamus, eaſque a ſe inuicem diſcernere poſſumus. Sic *b* et *p*, *d* et *t*, *g* et *k*, et aliae eius generis literae ore Saxonis, ſtricte ſic dicti, tam promiſcue efferuntur, ut eas uix dignoſcere queas, unde quoque diſtinctione mollis et duri *b* uel *p*, *d* uel *t* etc. ne confuſio exiſtat, utuntur;[i] Inferiores uero Saxones aliam iterum literarum permutationem in uulgari uſu adhibent. Ad haec omnia tonus ſiue accentus quam maxime confert, a quo omnia ſic pendent, ut, ſi conſuetudo alicuius gentis publica uel tantillum in eo uariauerit, diuerſae et peregrinae appareant linguae, quae iiſdem natalibus, iiſdem cretae radicibus, germana conſanguinitate iunguntur.[k] Harum rationum unaquaeque ad externam linguae immutationem

g) Conf. BESOLDVS c. l. p. 48.

h) *De A. P. v. 68. ſeqq.*

i) Haec cum obſeruo, nullam Clar. SCHVSTERO litem mouere uolo, qui in Diſſert. *de Natura quatuor linguarum Cardinal. Germanicae, Latinae, Graecae ac Hebraeae*, Ienae habita, *p. 19. not. h.* Ciues ſuos ab hac accuſatione liberare ſtuduit, Patriae tamen amori nimis indulgere uidetur.

k) Varias has cauſas, ex quibus Dialectus quaedam ortum ducere poteſt, allegat Cel. SCHVLTENSIVS *T. II. Orig. C. I. §. XXXVII.*

nem aliquid confert, licet aliae insuper esse possint, quae illam pariant, ex quibus quasdam protulisse nunc sufficit.

§. IV.

Non mirum inde, linguam primaeuam suas quoque sensisse immutationes, temporisque successu aliam atque aliam externam induisse faciem. Etenim in omnium ore a primis incunabulis suis uigebat, diuersisque posthaec populis erat uernacula, quo posteri Heberi, in duas per Phalegum et Ioctanem distincti lineas, referuntur. Non mirum, inquam, uarias eam ex se progenuisse Dialectos, ex diuersis rationibus, quarum quaedam excitatae sunt, ortas. Nec magis mirum, has Dialectos tam diuersum tenere adspectum, cum, quanto remotior lingua a sede sua patria uiget, tanto notabilior differentia eius externa existat. Imo nec discrepantia externa Arabicae linguae ab Hebraea in admirationem nos rapere debet, quae ad hunc usque diem uiua, quotidie mutationibus subiacet, ea uero diu iam mortua, nihil amplius innouare potest. Subit hic Summi Numinis uenerari prouidentiam, quod, licet hae linguae externa forma tantum a se diffideant, internam tamen earum conditionem et medullam sartam intactamque per tot secula nobis asseruatam uoluerit. Omnis enim, quae inter eas intercedit discordia ex Dialectorum natura ad amicissimam reduci potest concordiam, ut si diuersas linguas eas pronunciare uelis, Atticam, Ionicam, Doricam et Aeolicam Graecorum Dialectum, unam quamque per se, peculiarem constituere linguam simul asseras necesse est. Scio quidem, multos Eruditos ne Chaldaicae quidem aut Syriacae linguae id tribuere, ut nomen Dialectorum Hebraeae tueri possint, tantum abest, ut de Arabica lingua hoc concedant; sed ex sequentibus facile patebit, uera esse, quae CHRIST. RAVIVS, ut B. PFEIFFERVS,[l] ea licet impugnando, annotat, post FVLLERVM et alios dixit: *Chaldaicam linguam ab Ebraica ad modum Dialecti tantum differre; item Ebraicam, Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, quae uulgo pro diuersis male habentur, unam linguam sacram orientalem esse, et diuersas modo Dialectos arctius cognatas, quam Graecam*

l) in Crit. S. C. III. Qu. VI. p. m. 45.

cam Communem, *Ionicam*, *Atticam*, *Aeolicam*, *Doricam*, *Boeoticam*. Etenim ſi ex Dialectorum natura diſconuenientia explicari et tolli poteſt, nihil, quominus eas Dialectos appellemus, impediet. Quod ut diſtinctius percipiendum commonſtrem, Dialectorum naturam ad linguam Hebraicam et Arabicam, reliquis miſſis, habito ad Graecorum Dialectos reſpectu, applicabo.

§. V.

Si ad uariationes, quas Dialectus quaedam permittit, attendimus, eae in tres claſſes, ad quas, quicquid de natura eius docetur, commode referri poteſt, diuidi poſſe, experientia ſatis euincit. Permutantur enim uel *Elementa*, *eorumque pronunciatio*, uel *Verborum ſignificatus*, uel tandem *Conſtructio uniuerſa*. Quae ad elementa linguae pertinet uariatio, illa uel ex *literae*, uel *uocalis* immutatione, uel *utriusque traiectione* oritur; ad pronunciandi modum uero *formas contractas et productas*, quin *Accentum* aliter et aliter poſitum refero. Diuerſitas, quae in *uerbis*, eorumque *ſignificatibus* conſpicitur, uarie iterum conſiderari poteſt, ſiquidem quaelibet Dialectus domeſticas quaſdam, per accidens, adſciuerit uoces, quas in altera non inuenies. Alteram differentiam ſecundariae et metaphoricae notiones formant, quae ex primaria quadam enaſci ſolent, adeo ut idem ſaepius uerbum Dialecti cuiuſdam contrarium de eo denotet, quod in altera obſeruamus; his ipſae ſecundariae flexiones accedunt, in quibus maxime uariatur, altera tropis foecundiore, altera ſteriliore, alia tandem prae alia Originis, ſeu primariae poteſtatis ſeruantiore, ita ut in una pauciſſimae, eaedem uero in altera reperiantur copioſiſſimae. Tertia Claſſis illam nobis diuerſitatem offert, quae ad uniuerſam *Conſtructionem* pertinet. Sic Phraſes in Dialectis, formulae ex ritibus rebusque domeſticis oriundae uariant, quin totus orationis ambitus eam introducit differitatem, ut unam ab altera ſtatim diſcriminare queas.

§. VI.

Haec cum de Dialectorum natura tradimus, id nunquam aſſerere uolumus, Dialectos ubique hac uarietate niti, hisque tribus Claſ-

ſibus

ſibus ſemper a ſe diſſidere. Teſtatur enim experientia, Dialectos nonnunquam has immutationes coniunctim ſumtas non admittere, ſed amiciſſime in quibuſdam conſpirare. Permittit quidem lingua tales Dialectorum uariationes, has permutationes uero per ſe Dialectum tantum conſtituere, exinde minime ſequitur, cum in peregrinas quoque linguas illae cadere poſſint. Fallit ergo conſequentia, has illas linguae inuenio mutationes, ergo Dialectum conſtituunt. Alia enim res eſt, Dialecto eas non repugnare, alia iterum, eam iis abſolui. Hac obſeruatione opus eſſe duxi, ne nobis obiiciatur, multa hic ad Dialectorum naturam referri, quae eodem iure in diuerſiſſimis linguis locum habeant. Has itaque uariationes ex Dialecto oriundas, ſecundum diuiſionem, §pho praecedenti factam, inſequens noſter labor ſigillatim proponet, ex quibus differentiam linguae Arabicae et Hebraeae ex Dialectorum natura explicandam eſſe, euicturi, antiqua Arabicae linguae iura, non ſine magno noſtro damno hactenus labefactata, reſtituere allaborabimus. Hoc tamen omnino admonendum cenſeo, totam hanc, qualemcunque, Commentationem *Viae ueteris et Regiae Hebraizandi* Cel. SCHVLTENSII *Sect. XVII.* ut et eiuſdem Cel. Auctoris *Originum T. II. C. I. §. XXXV-XXXIX.* illuſtrandis inſeruire poſſe, cuius praecepta, hac de re data, exemplis confirmabo.

§. VII.

Exordior a prima Claſſe uariationum linguae ex Dialecto oriundarum, quae ad *elementa* et *modum pronunciandi* ſe extendit. Quod ad prius attinet, longa uix opus eſſe diſcuſſione quilibet perſpicit, cum Graecorum Dialecti omni id atteſtentur pagina, pauca tamen pro ſpecimine ex iis, quae Cel. SCHVLTENSIVS in *Claue Dialectorum* iam propoſuit, adducam. Nota uſuque ſatis comprobata eſt Grammaticorum regula, quae in noſtra quoque cauſa magnam praeſtat utilitatem : *Literas unius organi facile inter ſe permutari.* Hanc permutationem, ut reliquae literae, ita gutturales quoque amant. Ne mireris ergo, quando א in ה uel ח aut ע mutatum apud Arabes forſan inuenis, quanquam omnium non aequalis frequentia occurrit. Sic אשש *agilis fuit*, unde אש *ignis* apud Arabes ſonat هشّ, quod et نشّ;

item

item عبف *abhorruit*, *fastidiuit* Originem traxit ab انف *nasum traxit*, Hebr. אנף; Tandem מאטא *Ies. XIV, 23.* apud Arabes est طحطح.[m] Contra א pro ה alternat, ut افك pro הפך, ח pro ה et uicissim ה pro ח, item ע pro ח, et rursus ח pro ע, de quibus, ut et de aliis harum literarum permutationibus, exempla dedit Cel. SCHVLTENSIVS *in Claue Dialectorum.*[n] In genere hic tenendum, Arabes pro spiritu asperiore Hebraeorum ה, amare lenem א, quod in Speciebus uerborum distincte obseruatur. Ad hanc permutationem literae אוי, tam in principio, quam medio et fine, quam maxime pronae sunt, ad quam rationem Arabes ومر pro אמר *dixit*, يسير pro אסיר, *captiuus* usurpant, quemadmodum Chaldaei Hebraeorum שאול in שיול transmutarunt, ut Targum *Ps. IX, 18.* יתובון רשיעי לשיול *reuertentur impii in sepulchrum.*[o] Obseruanda hic uenit frequentissima uicissitudo inter uerba Quiescentia tertia א et ה, quod posterius pro Vau uel Iod substitutum, ut גלה pro גלו uel גלי, ubi in genere notandum, Arabes hic pro ה seruili Hebraeorum א assumere, ut جلا pro جلو et جلي, quod Arameae Dialecto quoque proprium, ut גלא pro גלה. His iam, quod satis uulgata, insistere non lubet. Beth itidem uariis mutationibus, ut reliquae eiusdem organi literae, plane ut apud Graecos subiacet, ut transeat in מ e. gr. محن pro בחן *probauit*, *explorauit*, quod in Origine est *terere fricando*, *speciatim ad coticulam*, *atque ut aurum probare.*[q] Ad hanc normam Dorice μιαιφόνος extat pro βιαιφόνος et Aeol. βάρμιτος pro βάρβιτος;[r] e contrario מ in ב traiectum, ut زبر pro זמר et زبور pro מזמור, quamuis et مزمور remanserit.[s] Sic Aeoles βύρμαξ pro μύρμαξ, et βέλλω pro μέλλω. Porro ב in פ abit, ut Chaldaei pro ברזל efferunt פרזל, *Dan. II, 33. 34. 40.* Sic Arabes زوج quod Hebraeis אזוב, quo spectat Graecorum ἀβλόπες pro ἀβλαβὲς ex Dialecto Cretensi.[t]

 Hanc

m) Conf. KROMAYERVM *de Vsu Lingu. Ar.* p. 19.

n) p. 207-210. 234. et 269.

o) Aliud exemplum uide apud BVXTORF. in *Lex. Talm.* h. u.

p) Plura dabit Cel. SCHVLTENSIVS in *Claue Dial.* sub his quatuor literis.

q) Vid. *Cl. Dial.* p. 195. it. *Orig. MSC.* h. u.

r) Conf. IAC. ZVINGERI *Hypotyp. Graec. Dial.* apud SCAPVLAM p. 49.

s) Vid. GOLIVM sub زمر et زبر.

t) Vt annotat ZVINGERVS *c. l.*

Hanc transmutationem ipsi quoque Germani satis confirmant, quorum lingua in sonis *b* et *p* admodum uariat, ut §. III. iam obseruauimus. Nec haesitabis, credo, ubi pro ב inueneris quoque literam ו, cum lingua sponte in eam inclinet. Sic apud Latinos in uetustis lapidibus ac libris *acerbus* et *aceruus*, *beneficium* et *ueneficium*.[u] Elementum Vau ad eandem uariationem nos ducit, quippe quod tam in ב quam פ, plerumque tamen in transit. Lexica Hebraica euoluenti, nullum, quod obiter admoneo, thema ab hac litera inchoans, praeter unicum וו *uncum* denotans, apparebit, quod tamen, nisi multis delectari uelimus anomaliis, Hebraeis restituendum. Non quidem me fugit, Hebraeos pro asperiore sono Vau, molliorem Iod in principio saepius assumsisse, et pro ולד substituisse ילד; at in Niphhal, Hiphhil et Hophh. primam thematis ueram radicalem partim per motum, partim per quietem, resumunt, quam in quibusdam quoque deriuatis etiamnum retinent, quo spectat forma rarior וָלָד et וְלַד, *2. Sam. VI, 23. Gen. XI, 30.* item הוֹרִד, *1. Sam. XXX, 24.* et aliae. Sunt tamen, qui has formas pro iis, quae per Iod flectuntur, positas esse contendunt, linguamque Arabicam in his praelucere non posse, existimant, quia ex mente eorum plura alia exempla manifesta deficiunt. Sed crederem ipsa haec exempla, licet plura abessent, quod tamen antea probandum, pro nostra sententia maxime stare. Formam enim ולד substitutam esse pro ילד asserere litem nondum decidit, nisi substitutionis huius causam afferas. An sic quoque in Niphhal, Hipphil et Hophhal Vau pro Iod positum est? Non persuadeor. Ergo Analogiam linguae sequamur, atque superfluas illas Masoretharum Crises ualere iubeamus. Nec metuendum, haeresin quandam Grammaticam, ut quidam pronunciare ausi sunt, hisce assertis introduci, cum, si omnes haeretici tali fundamento niterentur, hoc nomine plane indigni forent.[x] Re uera tamen plura reperiuntur uerba, quae aeque per Vau, quam per Iod olim usitata fuisse quemlibet conuincere possunt. Sic Futurum in Kal יוּכַל *poterit* palam a וכל, quod Arabibus وكل, descendere nemo ambiget, dummodo haec obseruare uelit. Scilicet cum literae omnes

u) Conf. VOSSIVM *de Arte Gramm. Lib. I. Cap XXVIII.*

x) Conf. E. CLODII *Lex. Hebr. selectum sub litera* ו *p. 162. 163.*

omnes ſua natura mobiles ſint, motus quietem antecedere debet, quapropter יוּכַל erit pro יְוּכַל, quod Chaldaei in יְכֻל et יְכִל contrahunt, ut *Dan. III, 29.* Quod ut aſſererem, eiuſdem Danielis *Cap. V, 16.* exegit, quo תּוּכַל certe oriri non potuit, niſi ex ueteri forma תְּוּכַל, quae poſtmodum per *quietem* in תוכַל conſedit. [y] Haec obiter tetigiſſe nunc ſufficit, quae ſi opus forte fuerit, commodiore tempore reſumi, in plenaque luce collocari poſſunt. Quid Hebraei in fine pro Vau ſubſtituerint, ſupra iam datum. Arabes hanc literam tam in principio, quam in medio et fine partim adhibent, partim pro ea Ie aſſumunt, ut utrumque uerbum, ſiue per Ie aut Vau ab initio formetur, eandem teneat Originem, licet in ſecundariis notionibus aliquando uariet. Porro Vau apud Arabes inprimis in medio et fine in Elif mutatur, aut, ut diſtinctius loquar, pro Vau radicali Elif ſeruile ſubſtituitur, quod et Ie in medio accidit. Sic قال eſt pro قول, قام pro قوم, Hebr. קום, بان pro بون et بين, Hebr. בון et בין, qualium ſylua extat. In medio quoque in ה abit, ut pro פור, unde Feſtum Purym, exiſtat فهر, quemadmodum pro מול in Targum legitur מהל. Occurrunt quoque exempla, ubi in Nun tranſiit, nec mirum, cum apud ipſos Hebraeos uerba quaedam, a Vau uel Iod inchoantia, etiam Nun receptent, quale eſt יצב, Arab. وصب, quod et נצב, Arab. نصب ſcribitur, ut patet ex forma נציב ſaepius in Sacris obuia. Simile quid in fine admiſſum, qua ratione ספן سفن affinitatem colit cum ספה سفا, cuius tamen ratio, ut Cel. SCHVLTENSIVS obſeruat, non in ſimplici permutatione, ſed in latente hactenus cauſa, ponenda eſſe uidetur. [z] Si ad hanc normam omnes Alphabeti literas pertractare uellem, haſce pagellas eo facile implere poſſem. Gimel enim in Iod, uel Caph et Koph, et uice uerſa, mutari, literas רטלנת inter ſe alternari, reliquasque, quae adhuc ſuperſunt, ſuis fungi uicibus, quin diuerſi organi literas nonnunquam inter ſe permutari poſſe, Graecia quemque docebit, unde ſi ex hoc capite contra Arabes argumentari, eosque a ſtirpe ſua nimium defeciſſe aſſerere uellemus, non omnia rite trutinaſſe

 uidere-

y) Conf. Cel. SCHVLTENSII *Inſtit. ad fundam. L. H. p.* 322. et 348. Plura exempla huc ſpectantia lege in *Claue Dial. p.* 212. *ſeqq.* item in *Orig. MSC. ſub litera Vau.*

z) Conf. *Clau. Dial. ſub litera Vau.*

uideremur. Quod uero ad eas pertinet literas, quae numerum Hebraeorum transgrediuntur, eas recentioris esse monetae, seculoque demum X. ad accuratiorem pronunciationem adinuentas, cuilibet, nisi in Historia Orientali plane sit hospes, satis notum, adeo ut omnis exceptio, hac nixa ratione, semet destruat.

§. VIII.

Progredior ad Vocales, quarum uariationem apud Hebraeos et Arabes ex sola Dialecto oriri, paucis adstruam, quod eo facilius ab omnibus me impetraturum confido, cum in quauis lingua nihil ad sonum uariandum procliuius sit, quam ipsae uocales, adeo ut unica ex iis uario saepe modo proferatur. Graecia, Latium, imo ipsa Germania patria tot subministrare possunt exempla, ut a quo exordiar, aut in quo desinam uix habere mihi uidear. Mirumne ergo, Arabes in earum pronunciatione ab Hebraeis aliquando dissidere, ut quaedam prouincia ea in *a* exire sinat, quae alia per *e* effert, aut quaedam *i* pronunciet, ubi ab alia *e* audis, aut tandem inter *o* et *u* discrimen patiatur? Si ad figuras uocalium recurris, ex iisque magnam differentiam elicere studes, prius tibi probandum erit, Dialectos eandem semper literarum aut punctorum uocalium figuras exquirere, hisque uariatis statim in peregrinas abire linguas, quod si uel probare posses, falsa contra Arabes meos, eorumque diuersas literarum et uocalium figuras, foret consequentia, cum longe alias figuras, quam hodie conspicimus, quae natales suos seculo X. debent, antiquitus adhibuerint, totumque uocales scribendi genus per puncta, ut HOTTINGERVS obseruat,[a] absoluerint. Probandum ergo, puncta illa, quibus Arabes olim utebantur, eo tempore ab Hebraeis diuersa fuisse. Sed de figura non disputo, modo id concedatur, diuersitatem potestatis, quam uocales exserunt, commode ex Dialecto explicari posse, quod quomodo negari possit, ego quidem non satis intelligo. Quod ad Vocales Arabum *Nunnatas*, ut uocantur, attinet, quas lingua Hebraea ignorat, illae peculiari loquendi modo nituntur, cum ne apud ipsos quidem Arabes ubique receptae sint, et pronuncientur. Vulgus enim

eas

a) *In Thes. Philol. p. 401.*

eas uel ignorat, uel respuit, et per consonam cuncta terminat, ut نَفَسٌ et نَفْسٌ uel نَفْسٌ eadem teneant iura. Caeterum notandum, uariationes casuum, quae per illas Vocales *Nunnatas* indicantur, recentioris esse Originis, quas accuratior aetas adinuenerit. Neglectio enim *Nunnationis*, uariegationisque illius, ut Cel. SCHVLTENSIVS obseruat,[b] appellatur حَضْرَمَةٌ *Hadsramismus* siue *Hadramautismus*, ab حَضْرَمَوْتُ *Hadsramaut*, *Hadsramytta*, Arabiae Felicis prouincia nobilissima, cui nomen impositum ab חֲצַרְמָוֶת, filio Ioctanis, *Gen. X*, 26. Hi ergo Hadramytteni antiquae linguae retinentes, et adscititios ad finem sonos repudiantes Originem dedere uerbo حَضْرَمَ *Hadsrama*, quod est, *male pronunciauit uocales ad finem.*[c] Quare nec illi fictitii soni nostris Dialectis officiunt. Superesset iam, ut de permutatione uocalium exempla afferrem, eaque per Graecorum maxime linguam, de qua Dialecti a nemine negantur, declararem; Sed uereor, ne in re tam euidenti, ulteriori probatione ipsi euidentiae noceam, cum nimia claritas nonnunquam obscuritatem parere uideatur.

§. IX.

Considerandа nunc nobis literarum traiectio, quae iterum in quauis lingua satis frequens haud longam iniiciet moram. Ad hanc normam Latini I prae, pro praei, Graeci *κραδία* pro *καρδία*, sic Hebraei כבש et כשב *agnus*, שלמה et שמלה *indumentum*, גזר et גרז *secuit*, quo uerba Quiescentia mediis Vau uel Iod, iisdemque primis pertinent, sic טוב et טיב per traiectionem וטב et יטב *bonus fuit*, שוע et ישע et reliqua. Caute tamen in his uersandum, ne pro Metathesi aliquid accipias, quod re uera nullam agnoscit, quod Masorethas, ut et multos Christianorum saepius fefellit, ut per literarum traiectionem id explicarent, ubi radicales suo ordine manere poterant et debebant. Vnum alterumue exemplum pro specimine apponam. Extat locus *Iud. XVI*, 26. ubi lectionem והימשני in והמישני plerique Criticorum cum Masorethis emendare studuerunt, ut esset a R. מוש; alter locus *Iud. XII*, 3. reperitur, quo אישמה pro אשימה ob tritissimam

 radicem

b) *In Claue Dial. p.* 372.

c) *Conf.* GOL. *h. u.*

radicem שום positum esse contendunt. Mihi quidem in utroque loco nullam Metathesin locum habere, sed ipsum כתיב retinendum esse uidetur, cum, quod ad priorem attinet, Radix ימש Chaldaeis, monente CAPELLO, ימס, apud Arabes adhuc uigeat, quae ex Dialecto, ut supra annotauimus, per Vau scribitur, ومس *fricuit*, *fricando palpauit*. Sic CAMVSVS: الومس كالوعس احتكاك الشي الشي ומש ועד *formae est fricatio rei cum re, donec decorticetur*;[d] posterior uero ob alia Scripturae loca sese commendet. Sic *Gen. XXIV*, 33. וַיִּישַׂם לְפָנָיו לֶאֱכֹל, *et adpositum fuit ei, ut comederet*, Masorethae substituerunt ויושם, quod cur fecerint, formam analogicam Huphh. a R. ישם repudiando, non satis intelligo. Seruata enim R. ישם in Huphhal exsistit יִישַׂם pro יְהִישַׂם, ut יָפְקַד pro יְהָפְקַד, forma scilicet perfecta, pro qua uulgo ad suauiorem pronunciationem prima radicalis Vau adhiberi solet, ut הוּשַׁב pro הִישַׁב. Alter locus est *Gen. L*, 26. וַיִּישֶׂם בָּאָרוֹן, *et adpositus* (uel impersonaliter *adposuit*) *in arca*; uerba enim quaedam in Kal utramque aliquando potestatem, actiuam et passiuam exserere, omnibus notum.[e] Retinerem ergo hoc quoque loco Futurum in Kal a R. יָשַׂם; anomaliam enim hic introducere, quasi pro יושם hic וישם exstaret, non conuenit.[f] Ergo nulla adest ratio, quae nos moueat, in excitato Iudicum contextu literarum Metathesin statuere, cum omnia ex restituta radice ישם, Arabibus وسم rite procedant. Dantur adhuc plura Scripturae loca, in quibus literarum traiectio sine ulla ratione assumta est, quae nunc sepono. Quod si itaque in una eademque Dialecto talis elementorum permutatio permittatur, quid mirum, si in diuersis locum quoque obtinuerit, ut propterea facilis sit explicatio, si Hebraeorum רבע apud Arabes رجع efferatur, quod ex ipsis Arabicae linguae uisceribus Cel. SCHVLTENSIVS ὁ πάνυ ostendit,[g] sic נשם, Arabice نسم, et reliqua.[h] De traiectione uocalium multa hic inserere superfluum foret, cum, quae de literis dicta sunt, hanc satis firment, omnique dubitatione

nos

d) Conf. Cel. IO. SCHVLTENSII Fil. *Dissert. Acad. prior de Vtilitate Dialectorum Oriental. p. 52.* Add. HILLERVS *de Arcano Kethib et Keri p. 335. seqq.*

e) Conf. I. DANZII *Interpres p. 82. seqq.*

f) Conf. Cel. IO. SCHVLTENSIVM *c. l.*

g) *Orig. T. I. C. X.*

h) Plura lege in *Claue Dial. p. 318. 319.*

nos eximant. Etenim ſatis trita haec uocalium traiectio apud Orientales eſt, quam et Occidentales non reſpuunt. Huc frequens illa apud Hebraeos ſpectat tranſpoſitio, quando tertias praeteriti perſonas per affixa flectunt, ut פְּקָדַנִי et פְּקָדַנִי, פְּקָדַתְנוּ et פְּקָדַתְנוּ, יְהִי ex detruncato יִהְיֶה, et plura alia. Poſſes huc referre differentiam Chaldaeorum in formis ſegolatis, qui primam Hebraeorum uocalem ad finem relegantes, eas in monoſyllabas permutant; ſic פֶּקֶר apud ipſos effertur פְּקַר, פֶּקֶר ſonat פְּקַר, ut in his quoque ſalua Arabum res ſit, qui hanc tum literae, tum punctorum traiectionem ſaepius amant.

§. X.

Circa elementa igitur linguae Hebraeae et Arabicae, eorumque permutationem nullum nobis remanet dubium, quin, licet primo adſpectu ualde a ſe diſcrepare uideantur, leui tantum uariatione, ex Dialecto oriunda, nitantur. Ad obiectionem, quae hic moueri poſſet, §. VI. reſpondi. Supereſt nunc, ut ea, quae ad primam uariationis claſſem retuli, paucis conficiam, quae *ad pronunciationem* ſpectant. Nihil ſane maiori in omnibus linguis ſubiacet uarietati, quam modus pronunciandi, quo tales ſaepius exoriuntur immutationes, ut Dialectum a peregrina lingua uix diſcernere poſſis. Huc refero *formas* in una Dialecto *productas*, in altera *contractas*, *accentumque* uarie poſitum, ad quam rationem ſegolata Hebraeorum, ut modo notauimus, producta, apud Aramaeos et Arabes monoſyllaba fiunt, ut pro קֹדֶשׁ Chald. קְדָשׁ, Syr. ܩܘܕܫ, Arab. قُدْس efferatur; ſic נֶפֶשׁ, Chald. נְפַשׁ, Syr. ܢܦܫ, Arab. نَفْس pronunciant, hancque regulam in omnibus huius formae deriuatis obſeruant, plane ut Graecorum Attica et Ionica Dialectus, quarum prior uoces contrahere, poſterior contractas reſoluere amat, ad quam normam Attici ποιεῖν, Iones uero ποιέειν, ſic τοὔνομα pro τὸ ὄνομα, item Aeoles πάϊς pro παῖς, cui ſi longius inſiſtere, aliaque huius generis exempla cumulare uellem, Diſſertationis limites tranſgrederer. Supereſt Accentus, eiuſque uaria in Dialectis ſedes, quem pronunciationis regem iure appellare poſſumus, talem quippe gignentem uariationem, ut in ipſa uernacula lingua intellectu difficilia ſint uerba, quae tonum uſu receptum non retinent.

nent. Audiat modo aliquis rusticum quendam Altenburgensem, aut alium ab hoc tractu non longe remotum; sed quid aio, adeat uicinos nostros paganos, quibuscum nunquam locutus est, et, quamuis Germanice loquantur, paucissima tamen intelliget. Quanta apud Graecos Accentuum regnet uariatio, neminem, nisi plane linguam eorum ignoret, fugiet. Eadem quoque toni differentia inter Hebraeos, Aramaeos atque Arabes uiget, ut saepius aliam in pronunciando uocem audire existimes, quae re uera eadem non nisi tono differt, eoque difficilius dignoscenda, si praeter tonum, literae aut uocalis facta sit immutatio. Incidit nunc in innumeris aliis Hebraeorum שֵׁשׁ in foem. שִׁשָּׁה et שֵׁשֶׁת, quoad numerum cardinalem, in ordinali שִׁשִּׁי et שִׁשִּׁית; quod si Arabes ad hunc numerum consulo, eadem plane uoce utuntur, sed, quod obiter obseruo, rationem τȣ Dages fortis reddentes, in pronunciatione aliam plane proferre uidentur. Pro שֵׁשׁ enim efferunt سِتٌّ *Sitt*^{on} pro foeminino שִׁשָּׁה et שֵׁשֶׁת, سِتَّةٌ *Sittat*^{on}, pro שִׁשִּׁי audies سَادِسٌ *Sâdis*^{on} et pro שִׁשִּׁית سَادِسَةٌ *Sadisat*^{on}, ubi Dages forte eiectam literam Dal compensat. שֵׁשׁ enim Hebraeorum est pro שֵׁרֶשׁ et שִׁשָּׁה pro שִׁרְשָׁה. Arabes inprimis tonum in antepenultima amant, nisi uocalis longa, aut Scheua quiescens siue Gjesma hoc impediat, sic مُحَمَّدٌ *Muhammed*, فَقَدَ *Phakad*^{a}, et reliqua, e contrario Hebraei tonum in antepenultima nunquam patiuntur, inde fit, ut quaedam uoces apud Arabes diuersae in pronunciatione uideantur, quae a se non discrepant. Haec iam sufficiant ad illustranda ea, quae ad elementorum permutationem, diuersumque pronunciandi modum se extendebant, et plane circa corticem uersabantur.

§. XI.

Altera classis, ad ductum Cel. SCHULTENSII, ad folia et frondes pertingit, et adhuc plus uarietatis parit, quam pro nostra delineatione §. V. facta, nunc perlustrabo. Accidit hic quoque linguae Hebraeae et Arabicae, quod apud Atticos, Iones, et reliquas Graecae linguae Dialectos obseruamus, quae circa uerborum significatus inter

se

ſe uariant, ut primo quidem, quaelibet Dialectus peculiaria, ſibique propria habeat uerba, quae in altera non frequentantur, ex quibus breuem Catalogum ZVINGERVS[i] exhibet. Sic Atticis *ἀπληγὴς ueſtem ſimplicem, nullis rugis plicatam; σαυλὸς*, teſte HESYCHIO, *mollem, delicatum;* Ionibus *ἰνάξιες milites, ἐπαΐςος manifeſtum* denotant, reliquis aliae uoces domeſticae ſunt. Non mirum inde, Dialectum Hebraeam et Arabicam eadem gaudere libertate, qua quaeuis propriam, priuamque in uerbis ſuis ſignificationem retinet, de qua altera nullo modo participat. Omnibus illud linguis commune eſt, ut quaedam uoces Ciuitate quadam donatae, alii ignotae ſint, quae *prouincialium* nomine inſigniri ſolent. Peperit hanc uarietatem uſus creberrimus, qui, ut in tota lingua, ita in hac eius parte regnat, quae, ut uidetur, per accidens enata, et quanquam ſatis grauis, conſuetudine tamen ſua pro nihilo fere habetur. Poſſem huc reuocare Nomen Dei יהוה, quod apud Arabes, quantum ſciam, non frequentatur, pro quo ubique الله אלוה adhibent. Sic thema Hebraeorum רחק apud eoſdem deperditum eſſe uidetur, aut forte huic Dialecto proprium, quod in medio relinquo,[k] quemadmodum alia exempla nunc excutere non uacat. Cautione tamen in his quoque opus eſſe, mihi uidetur, cum, quid Hebraeis in genere domeſticum fuerit, nec ne, ſatis definiri nequeat, quod, quae nobis de lingua eorum ſuperſunt, uix centeſimam partem eius implent. Neque contra Arabes hac in re tuto concludendum erit, uerba eorum, in contextu Hebraeo non reperiunda, ipſis domeſtica eſſe, nec Hebraeis unquam in uſu fuiſſe. Dent nobis librorum idiomate hebraeo conſcriptorum copiam, qui ſic argumentantur, et quae nunc domeſtica uidentur, utrique linguae communia quamplurima euadent.

§. XII.

Progredior ad alteram Dialectorum uarietatem ex uerborum ſignificatibus oriundam, quae amplum nobis diſſerendi campum aperiret, ſi cuncta hic annotandi nobis mens eſſet. Sed qui ſtricturas quaſdam



cis perfungemur. Quemadmodum quaelibet Dialectus propria sibi flectit uerba, quibus altera caret, ita diuersissimo saepe modo ea inflectit, hancque in his licentiam sibi sumit, ut e diametro nonnunquam sibi repugnent, magnamque, ad primariam notionem eas significationes reuocare annitentibus, pariant difficultatem. Nec inauditum, in diuersas Dialectos hanc uariationem cadere, cum ea saepe in una eademque accidat, quod, qui ex hoc fonte contra imperfectionem Hebraeae linguae sua haurire solent ratiocinia, facile nobis concedent. Inuenimus enim non apud Hebraeos modo atque Arabes, sed apud ipsos Graecos, quin Latinos quoque tale diuergium inter significatus, quod asserta nostra quam maxime probat. Exemplo Cel. SCHVLTENSIVS iam praeiuit, cuius uestigiis doctissimis, ut in hac arte semper insistere studui, nunc quoque innitar.[l] Capiamus ergo Thema Hebraeorum עלז et עלץ, quod *exultandi* notione satis tritum, apud Arabes longe alia denotat. Secundum GOLIVM enim est: *Auidum esse prae aegritudine corporis, animiue, irrequietum et impatientem esse*, quam ex CAMVSO et GJAVHARIO haustam significationem pleniore conspectu ex ipsis Auctoribus reddimus. العَلَز محركة قلق وخفة وهلع يصيب المريض والاسير والحريص والمحتضر وقد علِز كفرِح وهو عَلِز اي وَجِع قَلِق لا ينام والعِلَّوْز وجع البطن والجنون والموت الوحي *Vox Alaz, media phatata notat agitationem et leuitatem, atque impatientiam, quae inuadit aegrum et captiuum, aut cupidum, aut moribundum. Radix* עלז *in his omnibus uiget, diciturque* עָלֵז *aegritudine adfectus et iactatus, ut dormire nequeat. Forma* עלון *trita pro dolore uentris, pro furore, pro morte repentina.* Hactenus CAMVSVS. Alter ad hanc radicem sic commentatur. العلز قلق وخفة وهلع يصيب الانسان وقد عَلِزَ بالكسر يَعْلَزُ عَلَزًا وبات فلان عَلِزًا اي وجعا قلقا قال الشاعر

واذا له علز وحشرجة مما يجيش في الصدر ☼

والعلوز لغة في العلوص وهو من اوجاع البطن

Substan-

[l] Extat T. II. Orig. p. 106. seqq. Add. Clav. Dial. p. 182. seqq.

Substantiuum עלז *est iactatio et leuitas, et magna impatientia, quae hominem corripit, isque tunc dicitur Aliza, media Kajrata, in Futuro Ialazo, in Infinitiuo Alazan. Dicitur etiam pernoctauit ὁ δεῖνα,* עָלֵז, *aegritudine iactatus et irrequietus. Sic Poeta.*

Quumque ei irrequieta adest iactatio, et agon moribundi prae aestu bulliente pectoris.

Forma עלז *ex Dialecto idem cum* עלץ *est inter uoces, quibus tormina uentris signantur.* Ex hoc specimine differentia significationum uerbi nostri apud Hebraeos et Arabes sufficienter elucet, cum, si ad usum in Bibliis asseruatum, et peruulgatum Arabum respicimus, illos thema hoc *bono*, hos fere *malo* sensu adhibuisse reperiamus. In transitu tamen moneo, hos diuersos significatus a notione primaria, *in motu uibrante seu iactatione irrequieta, nunc ob gaudium, nunc ob dolorem et tristitiam* sita, dependere, in eaque amice conspirare. Sed haec propter uiam. Haec uero diuersitas significatuum non impedit, quominus Arabicam linguam pro Dialecto Hebraeae habeamus, cum ea pura puta Dialecto nitatur, earumque consanguinitati non officiat. Quod ut palpandum praebeam, simile exemplum ex lingua Graeca afferam, quo tale quid ex Dialecto tantum oriri euincam. Verbum enim σφαδάζειν, quod cum nostro עלז in Origine conuenit, iisdem diuersis subiacet notionibus, ut altera Dialectus illud bono, altera malo sensu accipiat. Teste enim SCAPVLA adhibetur proprie de eo, *qui stare nesciens, terram pedibus quatit seu pulsat*, quod communi linguae usu, exultantis et laetantis est. Dialectus tamen Attica, plane ut Arabes, significationis huius contrarium frequentat, ut *aestuare, aegre ferre, irrequieto motu iactari, indignari, furere, sub uulnere bulliente conflictari.* Cape iam, quae de themate nostro in Etymologia





pedum aegri aut moribundi; Alii pro exilire prae indignatione, alii ſimpliciter pro indignari, aut pro omni motu uiolentiore. In Lexico autem Rhetorico inueni σφαδάζειν ſignificare duram pati mortem, item conuulſionibus temere diſtrahi, grauiter indignari, iratius ingemiſcere, ut Euripides et Plato. An adhuc dubitas, tale diuergium ſignificationum in Dialectos cadere poſſe? Ego quidem nihil ſignantius, ad ſententiam noſtram comprobandam, adduci poſſe exiſtimo. Neque mirum in diuerſis Dialectis id fieri, cum una eademque id ſaepius confirmet, quod Cel. SCHVLTENSIVS in uerbis *exultare* et *exilire*, quae mox *pro gaudio*, mox *pro dolore* et *triſtitia* accipiantur, ex CICERONE, VIRGILIO, LVCRETIO et GELLIO oſtendit, et ipſa lingua Hebraea ſatis euincat. Cum igitur tam diuerſi ſignificatus, Dialectos Graecae linguae minime tollant, quis contendet aut affirmare conabitur, eos Arabibus meis officere, eorumque linguam diuerſiſſimam inde ab Hebraea fieri?

§. XIII.

Delabor iam ad ipſas rhetoricas uerborum inflexiones, in quibus Dialecti non omnino conſpirare ſolent, cum quaelibet proprias ſibi Metaphoras, Metonymias, aliosque tropos adhibeat, quibus ſignificatus ſuos exornat. Attici, Iones, Aeoles et Dorii, ut ubique, ita hic quoque exemplo mihi erunt, quo Arabicam linguam a falſis criminationibus liberabo. Ad hanc rationem uerba *θαυμάζω, θέλω, μῦθος, φάρμακον, ἀναιρέω, χελώνη* diuerſam apud ſingulos habent ſignificationem, ut, quod hic *mirari*, illic *mercedem dependere*; his *uolo*, illis *poſſum*; aliis *fabulam*, aliis *ſermonem*, huic *uenenum*, alteri *colorem*, quod communiter *neco*, Ionibus *uaticinor*, illi *limacem*, huic *cytharam* ſonet, de quibus millena colligere exempla poſſem, niſi haec iam ſufficere perſuaſum mihi haberem. Quale ergo iudicium de Arabibus feremus, ubi eandem ſignificatuum diuerſitatem apud ipſos obſeruamus, quippe qui peculiares frequentant tropos, in eisque deſumendis, Hebraeis longe foecundiores eſſe uidentur, ut ſi Lexicon GOLII in quibuſdam radicibus euoluas, ſignificationum molem, figuratas-

m) *T. II. Orig. p. 107.* add. NON. MARCELLVM apud DIONYS. GOTHOFREDVM *p. 655. n. 178.*

guratasque notiones ſtupeas. Hebraei quidem eadem gaudent proprietate, ut multas uarie inflexas ſub uno themate ſignificationes terant, at quoniam lingua eorum multis abhinc annis mortua, paruaeque eius ſint reliquiae, plurimas periiſſe per quam credibile, imo certum eſt. Colligimus tamen ex iis, quae nobis ſuperſunt, genium Orientalem, in tropicis, figuratisque notionibus admodum procliuem. Arabes ergo a ſtirpe ſua non degenerarunt, Dialectique nomen linguae ſuae iure tribuere poſſunt, quamuis tales frequentant inflexiones rhetoricas, quas Hebraei nunc ignorant, cum uſus loquendi, apud eos adhuc dum uigens, uariam in his formam parere potuerit, quid, quod haec immutatio in Dialectis, ut ex adductis exemplis patet, permittitur. Expectabunt forte Lectores ſpecimina quaedam ex noſtris Dialectis, quibus aſſerta haec probentur; ſed magna eorum copia, in quibusuis obuia Lexicis, ea hic deeſſe ſinit.

§. XIV.

Vltima ſecundae claſſis Dialectorum proprietas eo redit, quod Origo ſeu notio uerborum primaria in omnibus Dialectis non aeque frequentetur, ſed altera prae altera eam ſeruarit. Quemadmodum enim uerborum ſignificatus ab uſu dependent, qui multum in illis uariat; ita accidit quoque, ut primaria notio in Dialecto quadam uſum ſuum retinuerit, in altera ob multiplices ſecundarias notiones obſcurata ſit, et plane non compareat, quod inprimis tum euenit, ubi una Dialectus ex ore hominum iam emortua, non niſi in libris quibuſdam ſe conſpiciendam praebet, altera uero inter labra gentis ſemper uiget et floret. Quanto maior enim linguae datur copia, eo facilius uerbo-



dit. Id ergo in Dialectis tantum animaduertimus, unam Origines uocum magno conseruasse studio, recentique tenuisse memoria, alteram secundarias notiones magis adoptasse. Ad quam normam nonnulla apud Atticos inuenies uerba, quorum Originem in reliquis Dialectis quaerere oportet, et e contrario Attici primariam aliquando subministrabunt notionem, quam apud Iones frustra quaesiueris. Si ad Hebraeos et Arabes respicio, hanc obseruationem satis firmatam, comprobatamque reperio, quippe qui ad mutuam sibi hic opem praestandam apti nati sunt. Quam plurimae enim linguae Hebraeae Radices, quae in Sacris occurrunt, ad Originem, nisi foris lux accedat, uerti nequeunt, quod ad defectus, quos ea passa est, quam maxime pertinet, de quo alia occasione ratio iam data. Huc spectant Radices גרל,[n] גלע,[o] et aliae, quae multis recensere, temporis ratio prohibet. Nemo hinc in admirationem rapietur, quando assero, harum notionem primariam, cum apud Hebraeos non uigeat, uel interiisse, uel in Dialectis latere, quod in excitatis locis sic adstructum et demonstratum inuenies, ut, meo quidem iudicio, solem e meridie tollere uidearis, si de eo amplius haerere uelis. Exinde uero, quod apud Arabes quaedam uerborum Origines asseruantur, quae apud Hebraeos nunc interierunt, eos diuersam habere linguam concludere uelle, sua bona non nosse uideretur,

§. XV.

Ex hac itaque uarietate, quam inter linguam Hebraeam et Arabicam intercedere hactenus considerauimus, nihil aliud consequitur, nisi quod Dialectorum nomen omni iure tueri queant. Comprobarunt id Graecorum Dialecti, quae omnes has mutationes, salua quam inter se tenent affinitate, commode admittunt, ut si hae pro corruptis linguis haberi nequeunt, neque tale quid de Arabibus affirmari possit, uel debeat. Equidem ulterius progredi, et sine metu multarum obiectionum firmiter adstruere possem, multo arctius Arabes cum Hebraeis

n) Conf. Cel. SCHVLTENS. *de defect. hodiernis p. 190. seqq.* et EIVSD. *Vindiciae Orig. p. 180. seqq.*

o) Conf. *defect. hodiern. p. 46. seqq.* et *Vindiciae p. 144. seqq.* Plures huius generis Radices lege in *Via ueteri et regia hebraiz. p. 104.* consule *Orig. T. I.* et *T. II.* quin *Comment. in Iob.* passim.

braeis conſpirare, nec tantum a ſe differre, quantum ipſae Graecorum Dialecti; ſed lubet horum uariationem ad Graecos tantum referre, quo aſſenſum Eruditorum eo confidentius mihi promittere queam, neque hypotheſeos amore plus, quam ipſa concedit ueritas, arripuiſſe uidear. Conſulat modo ſupra excitatos ZVINGERVM, SCHMIDIVM, aliosque, qui de Dialectis Graecorum ſcripſerunt, cum iisque diſcrepantiam Arabum cum Hebraeis conferat, et adſtupeſcet, Viros Eruditos Arabicam linguam impuriſſimam, ne quid peius dicam, Hebraeae propaginem conſtituere potuiſſe, quae ne decimam quidem partem inter ſe differunt, quam ipſi Graeci. Sed mitto haec, et ad ultimam Claſſem, quae ad Syntaxin, arduam illam Grammaticae partem pertinet, uberius explicandam me accingo, in qua recenſenda iterum paucus ero, ne in his quoque terminos meos exceſſiſſe uidear.

§. XVI.

Tria ſunt, quae ad hanc claſſem refero, quorum primum ad *Conſtructionis rationem* ſe extendit, quae in Dialectis ſaepius uariat, et in omnes Syntaxeos partes ſe diffundit. Conſentient nobiscum, qui, quid Graecorum lingua in his uariet, planum atque perſpectum habent, in qua uel Articuli, uel Nomen, Pronomen, Verbum, Aduerbium et reliquae Orationis partes uel abundant, uel deficiunt, uel mutantur; caſus ſaepe uariant; uerba alias atque alias induunt conſtructiones, et quae inſuper hic inſeri poſſent.[p] Ne uero exempla plane negligamus, unicum *de uerbis ſenſuum* pro ſpecimine dabimus, de quibus Grammatici, aliique annotant, uarios ea in Dialectis adſciſcere caſus. Sic in aliis WYSSIVS:[q] *Senſuum uerborum Attica conſtructio eſt, quando uerba ſenſum aliquem externum, ...m et internum ſignificantia, more*

quibus Arabes meos ab illa labe et macula, quam iis adſperſerunt quidam, liberare poſſum. Variant hi quoque in conſtructionis ratione, ſed tantam, quantam Graeci patiuntur, diſcrepantiam, quoad mihi quidem perſpicere datum eſt, non oſtendunt. Etenim, ſi Hebraeae linguae Syntaxin cum Arabica conferas, pleraque tam arcte concordant, ut niſi literis eas a ſe inuicem diſcerneres, qualem ex utraque pertractes, plane neſcias, quod ex collatione Grammaticorum facile adſtruere, et per ſingula capita probare poſſem, ſi utriuſque linguae concentum demonſtrare uellem. Sed intra meos me continens limites, diſcordiam quandam, ſi eam ita appellare fas eſt, in uerbis exempli loco adducam. Arabes nempe uerba ſua nonnunquam cum aliis conſtruunt particulis, quam Hebraei, ſuaque ex uerbis diuerſo nonnunquam modo nomina deriuant, quod Lexicon GOLII euoluenti cuiuis ſtatim patebit, nosque a congeſtione exemplorum liberat. Ita Hebraei uerbum quoddam per ב aut ל aut על conſtruunt, quibus Arabes uel alias addunt particulas, uel plane diuerſas pro iis ſubſtituunt. Probe tamen tenendum de ea uarietate me loqui, quae pro hodierna linguae Hebraeae conditione ſe nobis offert, de eo uero, utrum haec diſcordia antiquitus quoque locum habuerit, iudicium ſuſpendo. Non negandum tamen, quaſdam immutationes in Dialectum Arabum quotidiano uſu irrepſiſſe, idque ex eadem ratione minime mirum, cum in uernaculis noſtris linguis talia quouis fere die contingant. At quemadmodum leuiculae hae diſcordiae externae, linguam quandam non ſtatim diuerſam efficiunt, ita nulla, cur noſtris Dialectorum nomen denegare uelimus, ratio adeſt.

§. XVII.

Altera iam accedat uariationum earum cauſa, quas inter Dialectos ſaepius obſeruamus, et quae peculiares gentium ritus concernunt. Nihil apud diuerſas gentes, lingua utentes communi, frequentius accidit, quam ut in uno eodemque ritu diuerſas adhibeant formulas, quas unaquaeque ſibi domeſticas fingit. Vt nunc alia exempla praeteream, de Hebraeis et Arabibus in his diſcrepantibus, pauca monebo. Certe Iudaeorum formulae ſolemnes, huic aut illi ritui propriae, ſatis

notae

notae sunt, de quibus BUXTORFIUS in *Synagoga Iudaica* pluribus egit, quorsum preces eorum, formulae in surgendo, lauando, aliaeque, in quibus Arabes non concordant, pertinent. Ipsos imo ritus alio insigniunt nomine, sic טבילה Hebraeorum, apud Arabes fere conuenit cum غسل, seu lotionem totius corporis,[r] et נטילת ידים *lotio manuum* apud eosdem وضو sonat.[s] Ita in inscribendis libris Arabes suum بسم الله ubique frequentant, pro quo Hebraei aliam formulam substituunt. At cum ritus sacri apud Iudaeos aeque ac Arabes non ex uno fonte desumantur, facile in eorum administratione uariatio enasci potuit. Notum enim, Iudaeos uel Scripturae S. praecepta, uel Doctorum suorum sententias atque traditiones, Arabes uero falsam suam reuelationem, eaque, quae a fundatore suae religionis acceperunt, in ritibus sequi. Vnum tamen Ens supremum utrique uenerantes, eius nomine omnes ritus instituunt, usu aliam hic illic formulam introducente. Non quodem me fugit, hanc discrepantiam plus ad gentes ipsas, quam ad eorum linguam pertinere, crederem tamen, omnibus rite pensitatis, eam quoque ad Dialectos quodam modo referri posse; siquidem obiici posset, magnum inter Hebraeos atque Arabes apparere dissidium linguarum, cum ubique in ritibus suis, qui tamen ipsi non in uniuersum ab Hebraeorum usu discedunt, alias adhibeant formulas, quas, si lingua eadem foret, ut nos defendimus, sine dubio easdem haberent. Ne uero sententiis nostris, ut saxis adhaerere uideamur, facile permittere possumus, si quis hanc uariationem ex solemnibus formulis oriundam, ad Dialectos optimo iure referri non posse, contenderet, neque litem ipsi moueremus, ea tamen obseruatione, ne id neget, ut ex eodem capite contra nos agere uelit. Diuersitas enim harum formularum non inde euenit, quod diuersis utuntur linguis, sed quod usus hic illic aliquid uariauit.

§. XVIII.

Tandem ad ultimam rationem deuoluimur, ex qua unius eiusdemque linguae uariationem externam, quae ex Dialecti natura proficiscitur, cognoscere possumus. Totus nempe Orationis ambitus unius Dialecti ab altera nonnunquam sic differt, ut eas statim discriminare queas. Ratio huius mutationis haud difficilis est intellectu, cum in una eademque Dialecto stilus scriptorum adeo diuersus ubique sit, ut unum ab altero statim discernas. Ita Moses a Iesaia, hic a Ieremia, et sic porro, Matthaeus a Luca, ab utroque Paulus sic differt, ut, si genio uniuscuiusque adsuetus, mox, cuius scripta legas, intelligas, idque non in Sacris tantum, sed profanis quoque Scriptoribus locum habet, ut quilibet peculiari, sibique proprio uerborum nexu res, quas pertractat, describat. Hanc Auctorum differentiam in aliis R. P. BERNARDUS

sont sees, pauvres steriles. - Enfin comme les visages sont differens, les manieres d'ecrire le sont aussi. - Les qualités de l'esprit sont cause de cette difference que l'on remarque entre tous les Auteurs. Le discours est l'image de l'esprit, on peint son humeur et ses inclinations dans ses paroles, sans que l'on y pense. Les esprits etans donc si differens, quelle merveille, que le stile de chaque Aucteur ait un caractere, qui le distingue de tous les autres, quoique tous prennent leurs termes, et leurs expressions dans l'usage commun d'une même langue? Quod si ergo Auctores in una eademque Dialecto suo dicendi genere adeo a se discrepent, ut unum ab altero statim dignoscas, quid mirum, si diuersae Dialecti talem immutationem permittant, Scriptoresque a se inuicem discedant. Certe apud Graecos, diuersae Dialecti scriptores in toto orationis ambitu a se inuicem dignoscuntur, ut mox appareat, utrum ad Ionicam uel Atticam, uel aliam quandam referendi sint *) Ergo nec ex hac causa lingua Arabica pro adulterina capienda erit, si Auctores ab Hebraeis nonnunquam in toto orationis ambitu deflectunt, cum Dialectus hanc discrepantiam sponte permittat. Nimis prolixus essem, si, quae huc spectant, exempla subiungere uellem, firmiter persuasus, unum quemque mihi facile concessurum, tale quid in Dialectis accidere posse, absque ut multis probetur exemplis.

§. XIX.

Haec sunt, quae de Dialectorum Natura atque indole, quantum temporis ratio permisit, breuibus differere uolui. Scio quidem multa adhuc superesse, quae hisce pagellis inseri, et adiici possent, sed quoniam haec scopo nostro satisfacere uidebantur, ea, quae desiderari adhuc poterant, nunc sepostuimus. Constitueram quidem, ut generale aliquod exemplum, ad quod, quicquid de Natura Dialectorum hucusque proposui, commode applicari posset, exhiberem, quadruplicem Orationem Dominicam, alteram Hebraicam, alteram Arabicam, Graecam communem, prout *Matth. VI.* legitur, eamque ex Dialectis conscriptam hisce addere, easque omnes notis insuper illustrare, quibus diuersitatem, quae inter Hebraeum atque Arabicum idioma intercedit, unice ex Dialecto oriri, nec tam notabilem esse, quam quae inter Graecos conspicitur, manu quasi palpandum dare uolebam; sed tempore me festinare iubente, aliisque accedentibus causis, hisce nunc supersedere cogor, ulteriorem expositionem occasione mihi opportuniore seruaturus.

*) Conf. saepius excitat. ZVINGERVM *c. l. p.* 61. 62. et alibi.

